

www.e-rara.ch

Positiones selectae ex jure publico ecclesiastico ...

Hannes, Bernhard

Typis Principalis Monasterii S. Galli, 1781

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-117494>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

POSITIONES SELECTÆ
EX
JURE PUBLICO ECCLESIASTICO,

Quas
SUB GRATIOSISSIMIS AUSPICIIS
CELSISSIMI, AC REVERENDISSIMI
S. R. I. PRINCIPIS

AC
DOMINI DOMINI
BEDÆ

PRINCIPALIS MONASTERII S. GAL-
LI, NEC NON EXEMPTI MONASTERII S. JO-
ANNIS IN VALLE THURÆ ABBATIS, REGII ORDINIS B. VIRG.
ANNUNTIATÆ EQUITIS, DOMINI AC MÆ-
CENATIS CLEMENTISSIMI, &c. &c.


PRÆSIDE

P. BERNARDO HANNES, ejusd. Monast. Prof. Ca-
pit. ac utriusque Juris p. t. Professore ordinario


Publice propugnabunt

RR. RR. FF. HENRICUS Müllern de Friedberg, ÆMILIANUS
Hafner, ROBERTUS Scheiz, MARTINUS Greßer, &
BASILIUS Brunner, ibid. Professi.

Die 10. Septembris Anno M D CC LXXXI.



SUPERIORUM PERMISSU.



Typis Principalis Monasterii S. GALLI.

Stiftsbibliothek
St. Gallen

STIFTSBIBLIOTHEK

14053

ST. GALLEN

Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsa-
ri, & quæ sunt DEI DEO. *Math. 22. 21.*



§. I.

ECCLESIA RESPECTU IMPERII
CONSIDERATA.

I.

Licet jus naturæ sanum, & integrum ad Jurisprudentiam Ecclesiasticam non parum conferre admittamus, nihilominus Religionem nostram nunquam magis læsam fuisse tenemus, quam modo sub prætextu juris naturæ, ubi extra prima principia pauca sunt omnino certa, pleraque indefinita; ubi nullus Philosophorum id pure docuit, neque modo ab iis pure docetur, qui lumen revelationis seponunt; ubi denique tam proclive est, id, quod aliquo modo congruum rationi privatæ videtur, velut legem naturæ asseverare. Nequaquam ergo ad ejusmodi jus naturæ existimatum jus Ecclesiasticum dirigendum censemus, sed ad institutionem Christi, eamque ex mente, & praxi Ecclesiæ declaratam.

II.

Damnum Religionis modo dictum paucis juvat exponere, ut omnes, quibus veræ Religionis sensus inest, quorsum deventum sit, aut deveniri queat, intueantur. Ajunt ergo, in Religione esse quædam substantialia, quæ necessarium Dei cultum in- & externum concernunt: alia vero accidentalia, quæ modum, tempus &c. hujus cultus determinant, atque ista esse arbitraria, cum possint alio modo, tempore &c. fieri. Inde mox concludunt, omnes leges mere Ecclesiasticas esse arbitrarias. Ex altera parte, quænam in statu Civili sint essentialia, quænam arbitraria, altum silent: illud continuo occinentes, ad summum Magistratum Politicum pertinere, omni modo, dummodo non contra

4
leges immutabiles naturales, & divinas, promovere commodum temporale, & damnum avertere, ita quidem, ut de his suis judiciis, & dispositionibus nemini in terris teneatur rationem reddere. Quotiescunque ergo Magistratus judicaverit, legem Ecclesiasticam minus convenire commodo temporali, sed potius nocivam esse, tum vero illius publicationem impedire, aut publicatam summa potestate abrogare posse. Sequela profecto latissima, per quam totum jus Canonicum, si demas, quæ juris divini sunt, in manu Magistratus reponitur, legesque Ecclesiasticæ in effectu a judicio Principis laici pendent. Et, quandonam Politicis prætextus deerit, damnum temporale legibus Ecclesiasticis obijciendi? Splendida ergo imago erit Potestas legislativa Ecclesiastica, sed mortua.

III.

Id fortassis alicui tolerandum videri queat? Sed plus ultra. Ex præfatis juris naturæ principiis porro ita discunt. Etiam publicatio alicujus dogmatis potest esse Statui nociva quoad tempus, quo fit, & quoad verborum tenorem, quibus dogma conceptum est. Licet enim doctrinæ ad credendum propositæ ab omni Catholico acquiescendum sit, nihilominus non semper esse necessarium, ut dogma hoc tempore publicetur, aut tali tenore concipiatur; quodsi ergo Magistratus judicet, ejusmodi tempore publicatum, vel tali modo conceptum dogma fore Reipublicæ nocivum, publicationi posse resistere, aut factam suppressimere, donec Ecclesia doceat, jus Divinum etiam hoc tempore publicationem, & tali modo requirere. In hoc tamen haud facile infallibilem dicent Ecclesiam id genus Canonistæ, cum de his rebus nil revelatum sit. Pronissimum ergo erit inferre, Magistratum non teneri stare superadditæ ejusmodi declarationi. Et quid tandem? Fere ultimato ea omnia sequuntur, quæ prius advertimus: Sacrosancta nimirum etiam potestas proponendi dogmata, dirigente infallibili Spiritus Sancti assistentia, præctice, & in effectu erit sine effectu. Sed plus ultra.

IV.

Decantatum, & inconcussum junioribus quibusdam Canonistis juris naturæ documentum est Supremum jus advocatiæ Ecclesiasticæ sæculari Magistratui competens. Item jus protectionis Regiæ. Vi prioris Principibus laicis veram, & effectivam potestatem tribuunt circa leges Divinas, & disciplinares statuendi, urgendi &c. ea, quæ alias Ecclesiæ competunt, atque transgressores non solum minores Clericos, sed etiam Episcopos pœnis temporalibus coercendi. His accedit jus advocatiæ Ecclesiasticæ specialis, quo jura inferiorum contra Superiores

❦

res Ecclesiasticos efficaciter defendendi facultas laicis tribuitur. Affine est jus Protectionis, quo Clericis, & Præsulibus, querentibus se injuste a Superioribus tractatos, excommunicatos, suspensos &c. jus recursus ad Potestatem laicam patere dicitur, ita ut hæc sua auctoritate inquirere judicialiter valeat, utrum spoliati fuerint in possessione, utrum iustis de causis, & legitime fuerint deturbati. Quodsi secus invenerit Magistratus Civilis, tum vero illi fas esse, spoliatum via facti in possessionem communionis Ecclesiasticæ, aut beneficii, vel officii restituere, donec legitime a juribus suis, & possessione deiciatur. Ita dum potestas spiritualis (*Posit* 2. & 3.) effective Ecclesiæ eripitur, eadem effective, & in praxi in Magistratum laicum transfertur.

V.


His stantibus leve videatur, quod ex similibus principiis vi juris Majestatici, & Eminentis potestatem Imperanti politico attribuant in loca sacra, & Deo dicata, in personas sacras, in res Ecclesiasticas, bona dotationis, etiam in vasa unice ad cultum Dei consecrata, si Magistratus necessarium judicet, id quod ipsi soli judicare comperat, ut etiam hæc pro Status Civilis indigentia concedantur, & tradantur ab Ecclesiasticis. Hic tamen non plus ultra. Quid enim amplius superest?

VI.

Quin superest juxta Canonistam quempiam variarum religionum, & juxta appositam ab eo rationem quarumcunque tolerantia, eo quod nemo carpendus sit, si religionem non sequatur, de cujus veritate, & unitate convictus non est. Id quod non solum omnis hæreticus, sed & judæus, gentilis, imo naturalista reponere pro libitu poterit. Atque hoc tandem supra plebem sapere dicitur.

VII.

Superest, ut etiam vera, & unica Ecclesia deinceps dogmata sua moralia ex jure naturæ, promulgato per lumen rationis, & per Scripturas, & Traditiones illustrato definire satagat. Ita dum dogmata ad fallibilem rationem, & jus naturæ præconceptum exiguntur, & librantur, non vero fallibilis doctrina juris naturæ ad revelationem, & traditionem, fides sat naturalis efficitur: ut taceamus, inauditam hanc Sacrosanctis Conciliis, & Patribus sententiam fuisse.



VIII.

Falsis hisce principiis alia vera juris naturalis, & Divini principia ex lege Christiana opponimus, hæc enim veram nobis juris naturæ cognitionem subministravit. Itaque lex naturæ jubet, ut quilibet primario posthabita cura rerum temporalium in veram Religionem modo possibili inquirat, ut Deum creatorem suum cultu in & externo non solum colere, sed etiam modo illi placito colere queat. Abs dubio vero ad id magis obstringuntur, qui aliis quodam modo præsumunt, ut non solum nil contra veram Religionem, & modum illius Deo placitum jubeant, non solum curam temporalium, & jussa sua sic temperent, ut Religio nil damni patiatur, sed etiam sedulo, quantum in eorum potestate est, subditos suos ad omnia Religionis præcepta adimplenda astringant, atque ad perfectionem complendam adjuvent,

IX.

Ex hoc documento plura alia sequuntur. Et primo quidem, quod, quæ de se arbitraria quodam in sensu vocari possunt circa tempus, modum, ritum &c. cultus divini, ea necessaria, & substantialia evadant, quando vel a Deo determinantur, aut a legitime constituta in hominibus potestate, & quamdiu humana potestas ea hoc modo determinata esse voluerit,

X.

Sequitur, quod Magistratui Civili nunquam liceat, emolumentum temporale non necessarium quærere cum detrimento perfectionis Religionis; neque damnum temporale avertere cum damno Religionis, & salutis animarum. Sed temporale utique spirituali, Status Civilis Religioni omnino cedere, & posthaberi debet.

XI.

Sequitur, quod, si constiterit, potestatem spiritualem esse a potestate temporali divisam, neutra potestas possit in alterius jura involare, iisque mediis, & jussis finem suum promovere, quæ alteri potestati natura sua competunt, nisi sint quædam media communia, quæ neutri potestati quidquam decerpant, aut jura revera lædant. Neque enim, cum ea, quæ a Deo sunt, ordinata sint, Deus ita duas potestates diversas instituere potuisse dicendus est, ut ea, quæ uni potestati absolute competunt, etiam alteri ex quocunque titulo competere queant; alioquin non nisi damnosissima potestatum collisio, atque concertatio oriretur.

XII. Se.



XII.

Sequitur porro, quod neque alterutra potestas alteram defendere, & tueri possit, nisi viis, & mediis sibi proportionatis, non vero usurpando jura alterius potestatis, & proprio motu statuendo ea, quæ statuere ad alteram potestatem pertinet: nisi ultro alterutra potestas de juribus suis quid cedere velit. Ita sub ethnicis Imperatoribus plena floruit Ecclesiastica potestas, parata vincula, & mortes potius, quam sui diminutionem pati. Sub Christianis vero Imperatoribus, præsertim primis, utraque potestas tali unione connexa est, ut altera etiam alteri de juribus suis cesserit usque ad funestam illam utriusque potestatis collisionem, cui Concordata demum remedium attulerunt, utraque tamen potestate cautius deinceps juribus suis invigilante. Modo autem quid stylo inverso quidam Canonistæ doceant, prius expositum est.

XIII.


Siquis itaque juxta *posit. 8.* ex præcepto juris naturalis in veram Religionem, & placitum Deo cultum etiam quoad modum, tempus &c. inquirat modo possibili, inveniet, Christum, cui omnis potestas in Cælo, & in terra concessa est, non solum certum Dei cultum in- & externum revelasse, atque in multis modum etiam determinasse, sed etiam regimen Ecclesiæ suæ ab Imperio politico divisisse, illudque Pastoribus a se ordinatis plenissima potestate tradidisse, subjiciendo Magistratui Ecclesiastico omnes Christianos, Reges æque ac Principes, quam plebejos.

XIV.

Est ergo in Ecclesia potestas legislativa independens ea omnia determinandi, statuendi, quæ ad finem illi præfixum requiruntur, ad perfectionem nimirum Religionis Christianæ, & salutem animarum: neque latae ab ea leges amplius arbitrariæ dici valent, sed necessario ab omnibus Christianis, tanquam subditis, acceptandæ, & observandæ sunt.

XV.

Satis mirum hic videtur, quod recentiores Canonistæ tam fidenter asserant, Christum institutione Religionis suæ juribus Principum nil voluisse detrudere: dein vero ea Imperantibus jura assignant, quæ ex nullo jure ejs competunt. Nullo enim jure Magistratui laico jus seu in, seu circa Sacra tribuitur: quæ duo nominetenus quidem differre dicuntur.



cuntur, prædicate autem sub nomine *circa Sacra* amplam potestatem in *Sacra* exerceri satis pronum est.

XVI.

Inspiciat sane Imperans in *Sacra*, sed ita, ut legem naturæ, toties per legem positivam Christi stabilitam, exacte observet, quam *posit.* 10. exhibuimus: discatque primum quærere regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur ei. *Math. 6. 33.* Quod autem leges etiam mere disciplinares independentis potestatis Ecclesiasticæ ita a placito Regnantum pendere debeant, ut absque eo absolute publicari nequeant, aut publicatæ possint absoluta auctoritate abrogari, res hæc totum Systema potestatis legislativæ evertit. (*Posit. 2.*) Tam parum enim tali rigore leges, ad salutem spiritualem ordinatæ, a placito Magistratus Christiani pendere possunt, quam parum leges civiles, ad salutem temporalem ordinatæ, a placito Præfulum Ecclesiasticorum.

XVII.

Quodsi tamen alterutra potestas ab altera per leges disciplinares notabiliter se læsam existimet, executio ex ipsa mente legislatoris differri amicabiliter poterit, donec gravamina invicem discussa fuerint, atque res amice composita. Quantum vero Ecclesia jam cesserit, notius esse putamus, quam ut deduci oporteat. Quodsi tandem asserat, se cedere amplius nequire, Magistratui laico omnino cedendum erit. (*vid. pos. 10. & 16.*)

XVIII.

Ita Ecclesia potest jejunia, & dies Festos præcipere, in quantum Christianam mortificationem, & populi fidelis instructionem, atque honorem Dei, & Sanctorum ejusmodi exigere judicat: teneturque Imperans consentire etiam cum detrimento sui status, si Ecclesia teneat, spiritualia hic, & nunc prævalere debere. Quidni & detrimentum Principes pro ea, quæ ipsis inest, potestate ipsimet auertere poterunt, tollendo nimirum abusus, computationes diebus Festis, peregrinos, & pretiosos cibos &c. ? Fiet inde, ut sicut antiquitus, ita & modo optimæ, & utilissimæ leges salvæ, & incolumes absque detrimento status civilis persistant. Quam æquis autem passibus Ecclesia nostris diebus procedat, si debito ad eam modo recurratur, neminem latet.



XIX.

Pessime certe consulunt unioni Sacerdotii, & Imperii, qui potestatem Principi circa Sacra, & sat largam inspectionem in Sacra tribuunt, eoquod negotia Religionis cum negotiis Imperii collidi possint: contra Ecclesiæ potestatem omnem in temporalia, atque inspectionem denegant, quasi vero non etiam negotia Imperii cum negotiis Religionis collidi possint, juribusque, & fini Ecclesiæ detrahi. Et, quid si etiam Præsul Ecclesiasticus prætenderet, nullum statutum civile suis subditis Christianis promulgari posse, antequam placitum suum accesserit?

XX.

Potestatem Ecclesiæ legislativam ex lege naturæ, & positiva comitatur potestas coercitiva peccati, quæ non solum ad pœnas mere spirituales, sed etiam ex antiquissima praxi ad temporales se extendit, in quantum sunt media utrique potestati communia (*Posit. II.*) finem propositum quoad discolos obtinendi. Unde pœnas temporales in potestate Ecclesiastica nequaquam ad veros carceres, catenas, aliaque criminalia extendimus; hæc enim, cum expressam potestatem temporalem requirant, tam parum ad Ecclesiasticos spectant, quam parum ad Laicos pœnæ mere spirituales, uti interdicta, excommunicationes &c, quæ potestatem vere spiritualem supponunt.

XXI.

Ex circumstantia vero loci Deo consecrati, uti infra tuebimur, sequitur, quod sine licentia Superioris Ecclesiastici non conveniat Magistratui laico, quemquam inibi etiam temporaliter punire. Non expedit tamen Ecclesiasticis nimium denegare.

XXII.

Quin & id notandum, quod Præsul Ecclesiasticus temporaliter, & occulte a laicis punitos denuo publice ad refarciendum scandalum pœna Ecclesiastica punire queat, si ita salutem animarum requirere judicet.

XXIII.

Restat modo, quædam in specie adducere in cautelam, ne alterutra potestas variis mediis finem suum promoveat involando in jura alterius. Ita, quæ Electiones, & Confirmationes Ministrorum Ecclesiæ



concernunt, ea unice ad dispositionem Magistratus Ecclesiastici spectant, adeo, ut in iis nullum jus, nulla potestas sit laicis, nisi ultro admittantur. Sic e diverso Ecclesiae pariter potestas nulla est in Electiones Magistratus laici. Exclusiva vero, quam interdum Princeps dare solet, nullum jus in electionem sapit, sed est mera significatio, quod hunc, vel illum promotum nolit: valebitque nihilominus electio, etsi is ipse assumptus fuerit, in quem Exclusiva ceciderat, quantum est ex valore Exclusivae; aliunde tamen ob eam fors minus aequam nihilominus eligendus minus utilis, aptusque evadit. Interim ex eodem titulo, quo Politici Exclusivam praetendunt, eandem etiam Ecclesiae competituram in electionibus Magistratus civilis, negare haud poterunt.

XXIV.

Jus convocandi Concilia ad rem spiritualem decidendam tam certo unice ad Ecclesiam pertinet, quam certo Magistratui laico unice competit convocare comitia ad rem temporalem decidendam; unde neutra potestas de jure finem suum promovere potest involando in jura alterius. (*Posit. 11.*) Monitio tamen ex utraque parte locum habebit, cui utraque potestas, prout poterit, deferet. Certe locum celebrando Concilio aptum Princeps Christianus denegare haud poterit, quin inde ullum jus convocandi Concilia ipsi accrescat.

XXV.

Cum Deitis contractum Matrimoniale voluerit esse materiam, & formam Sacramenti, nullique Christianorum aliter contrahere liceat, quam sub ratione Sacramenti, eo ipso contractus iste quoad rationem, & valorem Sacramenti jure divino a dispositione Principis est exemptus: Illique tribuere potestatem statuendi impedimenta, valorem contractus Sacramentalis quacunque ratione dirimentia, nil aliud erit, quam immittere manus non sacras ad rem sacram, atque potestatem ultra limites suos longe extendere. Ecclesia ergo dijudicabit, utrum saluti animarum expediat, ad petitionem Principum plura impedimenta contractum sacramentalem dirimentia statuere, nec ne. Sane impossibile est, ut valor Sacramenti non adsit, ubi adest debita materia, & forma cum reliquis: debita autem materia, & forma Sacramenti matrimonii infallibiliter est ille contractus cum iis solennitatibus, prout Ecclesia assignaverit, atque determinaverit; impossibile ergo est, Principem laicum posse quocunque modo contractus Sacramentalis valorem impedire. Unde juxta eos Canonistas, qui tuentur, Magistratum laicum posse omnes contractus naturales irritare praescribendo iis essentielles solennitates,
fine

sine quibus naturalis obligatio pro statu civili tollitur, hoc tandem paradoxum sequitur: In civili CHRISTIANA Republica posse esse conjuges illegitimos, filiosque eorum illegitimos, verbo, matrimonia nulla, licet parentes juxta leges CHRISTI, & ejus Ecclesiæ validum, & Sacramentale matrimonium inierint.

XXVI.

Maxime vero ad usurpationem alienæ potestatis trahunt juniores quidam Canonistæ eam, quæ alias Ecclesiæ unice exoptanda, & proficua est, Advocatiam a Magistratu sæculari suscipiendam. Vocant hanc jus advocatiæ, cum tamen nullum jus seu in, seu circa Sacra Imperanti laico tribuat, (*Posit. 12.*) sed mera sit, strictissima tamen obligatio, (*Posit. 8.*) promovendi mediis temporalibus lucrum animarum, defendendi, & exequendi leges Divinas, & Ecclesiasticas, jubendi, & urgendi earum observationem &c. Non ergo sub titulo Advocatiæ poterit Imperans aliquid motu proprio quoad Sacra statuere, aut omnino contra voluntatem Præsulum Ecclesiasticorum: ita enim Princeps foret imperans in sacris, non amplius merus advocatus. (*vid. Posit. 4.*)

XXVII.

Ad obligationem advocatiæ vel maxime pertinet non quidem co-gere subditos ad amplectendam veram Religionem, sed tamen eos, quantum ratione temporis, & circumstantiarum in Principe est, non tolerare libere in regno suo, postquam Religioni nostræ Catholicæ, evidenter credibili, atque unice veræ pertinaciter eos resistere constiterit. Unde absque dubio Principi competit, ejusmodi Deo, & Religioni rebelles transplantare, atque alias iis Territorii sui partes assignare. Item libros, quos Ecclesia fidei, & bonis moribus perniciosos judicat, sua quoque auctoritate proscribere, non vero motu proprio de libris judicare, & in aliqua materia quosdam generaliter permittere. Nimirum constat, quod nostris diebus pestis Religionis, & Ecclesiæ pernici-es vel maxime in libris ex titulo adiaphoris serpat, nihilque magis noceat, quam promiscua librorum lectio, sine approbatione, censura, aut permisso Superiorum editorum contra utilissimas, & necessarias sacrosancti Concilii Tridentini leges.

XXVIII.

In Ecclesia necessaria etiam est potestas judiciaria quæ se ad res sacras, cultum Dei, animarum salutem, ac regimen Ecclesiasticum extendit.



dit. Ita absque dubio soli Ecclesiæ competit definire dogmata Fidei, & morum, eaque omni creaturæ proponere; determinare item, & judicare, quæ Sacramenta, & Sacramentalia, res liturgicas, electiones, beneficia &c. concernunt; imo ubicunque de peccato, aut virtute quæstio est. Illius ergo est docere, quænam subditis, & Regibus liceant, vel non: specialiter judicium, & censuram librorum sibi soli vendicat, quantum fidem, bonos mores, atque jura spiritualia concernit. Poterit quidem etiam Princeps judicare, librum aliquem esse statui suo nocivum, illumque prohibere; judicium tamen ejus non est majoris auctoritatis, quam alterius privati, licet prohibitioni standum sit, quando Ecclesia non contradicit: ubi autem de ipsis moribus quidquam in dubium trahitur, sitne licitum, nec ne, prohibitum, vel præceptum, Principem oportet recurrere ad Ecclesiam pro ejus definitivo judicio, sicut Ecclesia recurrit ad sæculares pro auxilio temporali, ubi opus habet.

XXIX.

Cum matrimonium in omni Christiano debeat esse Sacramentum, eodem jure causæ Matrimoniales, quo reliquæ spirituales, ad Ecclesiæ judicium pertinent, Ss. Concilio Trid. anathema iis infligente, qui id negaverint. *Seff. 24. de Sac. Matr. Can. 12.* Unde edicere nequimus, quomodo illorum sensa cum principiis Catholicis conveniant, qui post inflictum ex divina potestate anathema defendi posse autumant, horum judiciorum facultatem ad Prælatos Ecclesiasticos transiisse a sæculari potestate: quasi vero Ecclesia unquam aut soleat, aut possit sub pœna anathematis quidquam definire, & docere, quod non sit juris divini. Aut, si in hoc unico casu erraverit, quomodo non etiam in aliis erit error obnoxia? & ubi dein veræ fidei fundamentum? Quonam vero nunc jure causæ sponsalitæ, quæ nil aliud sunt, quam futuri Sacramenti promissio, ad forum sæculare alicubi trahantur, divinare nequimus, nisi tacite saltem Ecclesia de jure suo cedat.

XXX

Sic alias quoque causas spiritualibus annexas, ubi agitur de ipso jure Patronatus, Decimarum, Sepulturæ in loco sacro &c, naturali sequela ad solius Ecclesiæ judicium pertinere, quilibet studio partium liber facile judicabit. Eodem modo, quare judicium in possessorio rei spiritualis, aut spiritualibus annexæ laico comperere debeat, nulla ratione videmus, si primario, & directe in possessorium inquiratur. Aut qualis illa ratio ex Philosophia Peripathetica petita: Possessorium in ab-

stra-

tracto, ubi tantum quæritur, an quis revera possideat, aut possederit, nec ne, nil est spirituale, ergo Magistratus civilis in exlimites potestatis suæ non excedit? Id quidem capimus, si de possessorio spatii imaginarii sermo sit, non vero si de possessorio illius, quod spirituale est, aut spirituali annexum, & cuius iudicium ad Ecclesiam pertinet. Si tamen incidenter ejusmodi possessorium in iudicio rei temporalis occurrat, quod summarie sine cognitione petitorii definiri queat, laicis id Ecclesia non negat. Ex his facile patet, quod recursus a iudicio Ecclesiastico ad forum sæculare nulla ratione permitti queat. Varia tamen quoad ea, quæ hic diximus, in variis locis est consuetudo, atque Ecclesia amore pacis laicis plura concedere consuevit, quam ad quæ stricto jure tenebatur. Conqueritur ipse Vanespenius, ubi de hac materia agit, ex indulgentia semel ab Ecclesia concessa laicos plura, & plura continuo ad se traxisse, ita ut pauca remaneant. Non ægre igitur ferent laici, si, ubi consuetudo necdum inoluit, nihil, aut fere nihil ipsi concedatur, nisi quod de jure eis competit.

XXXI.

Vi potestatis tandem Ecclesiasticæ independentis, & divisæ a temporali potestate consequitur, quod & alia quædam a dispositione Magistratus civilis jure divino sint immunia. Talia sunt loca Deo, & servitio Divino unice addicta, vel etiam consecrata: item res Deo, & Sanctis ejus donatæ, atque devotæ; dein Personæ ipsæ Deo, & servitiis divinis unice consecratæ, quæ omnia hoc ipso naturam spiritualium induunt, certe ad finem spiritualem unice deserviunt, & immediate deservire debent, unde & independentem ad potestatem spirituales, exclusa temporali, eorum dispositio pertinere debet. Licet ergo ad Principem pertineat statuere, quomodo, & qualiter crimina Reipublicæ damnosa debeant esse punita, in loca tamen prædicta jus divinum omnem ipsi potestatem adimit. Nunquam igitur maleficum illic detentum vi valebit extrahere. Præsul vero pensabit, quousque Reipublicæ incolumitas malefici cujusdam traditionem in manus laicorum requiratur: nec præsumi debet rationes civiles spreteurus, sicuti hætenus sat large iis cessum est.

XXXII.

De rebus quoque honori Dei devotis, & Ecclesiæ contraditis, in quantum Deo devotæ sunt, docet jus Divinum, *Nonne manens tibi manebat* &c. Act. 5. 4. Consequenter non licet eas denuo revocare, aut de iis decerpere. Ubi vero piissimorum Principum devotione



absque ulla limitatione donatæ, aut confirmatæ, atque, ut ajunt, amortizatæ fuerint, nec onera civilia eis imponi jus idem Divinum permittit. Nescimus sane, quomodo quidam Canonistæ jus Eminens Principum supra jus Divinum attollant. Cogente tamen vera Reipublicæ necessitate, & in defectu aliorum subsidiorum sufficientium Administratores bonorum Ecclesiasticorum ex iis non solum rogati contribuent, sed etiam pro necessitate contribuere tenebuntur. Parum tamen statui Civili ejusmodi bonorum usus proficiet, si cum neglectu œconomiae illis inhiet, velut de oblatione pœnitens.

XXXIII.


Leges vero Amortizationis, ubi ex quocunque titulo bona Ecclesiasticorum cum laicorum bonis iisdem oneribus subjiciuntur, satis duræ, ne quid gravius dicatur, apparent: ubi tamen plena immunitas in salvo relinquitur, comparisonem novorum bonorum certis conditionibus limitare injustum haud videtur.

XXXIV.

Cum Personæ Ecclesiasticæ non minus Deo, & servitiis divinis consecratæ, suisque peculiariter Rectoribus subjectæ sint, quam loca ipsa, & res sacræ; Easque primario respiciat, nil de hoc mundo, quam necessaria participare: earum quoque immunitatem cum Concil. Lateran. V. *Sess.* 9. Ex jure divino, & cum Trident. *Sess.* 25. Ex Dei ordinatione descendere omnino asserendum existimamus, denegandamque Principi in personas sacras potestatem, licet sint cives Reipublicæ. Id etiam leges Imperatoriæ sensim concessere, & canones Ecclesiastici statuerunt. Ecclesia vero vi quadam, aut resistentia jus istud urgere non voluit, præsertim cum ex ejusdem mente Christus Ei liberum reliquerit, in ejusmodi casibus potestati civili ultro cedere.

XXXV.

In iis tamen causis, quæ juxta prædicta nec locum Deo sacrum, nec rem sacram, aut Deo donatam, neque personam Deo consecratam proprie contingunt, exemptionem ex jure Divino nullam invenimus, sed gratiam Principum reverenter agnoscimus, sicuti & in donationibus primitus ab illis factis, rati fore, ut ex quibus motivis privilegia concessa sunt, ex iisdem statui Ecclesiastico conserventur.



§. II.

ECCLESIA IN SE SPECTATA.

XXXVI.

Ecclesia a Christo constituta, optima regiminis forma, sanctissimisque legibus provisa ad finem mundi stabit inconcussa inter omnes persecutionum assultus. Minores tamen eam passuram contradictiones modernis temporibus existimamus, ni forent in ipsa Ecclesia, qui vel adulandi studio, vel ambitione, vel temporali lucro excæcati anam ad ejusmodi præberent, adeo, ut vel nunc maxime querelæ illi locus sit: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Cant. 1. 6.* Rem partim jam deduximus, partim in sequentibus recurret.

XXXVII.

Voluit autem Christus Ecclesiam suam societatem inæqualem esse, inque ea sacram Hierarchiam non solum Ordinis, sed & Jurisdictionis instituit.

XXXVIII.

In gradu Hierarchico jurisdictionis supremus est summus Pontifex, cui omnes Christi oves una cum agnis pascendæ commissæ sunt: cum cæteris Episcopis dicatur, *pascite, qui in vobis est, gregem* 1. Petr. 5. Jurisdictionem ergo, seu potestatem ex Christi institutione in universam exercet Ecclesiam, eamque pro Ejusdem necessitate, & utilitate concurrentem cum jurisdictione Episcoporum, non solum honore, sed etiam potestate Primas. Hujusmodi prærogativam in tot Conciliis generalibus agnitam, unanimique Patrum, & Doctorum vere Catholicorum sensu assertam eo magis necesse est tueri nostris diebus, quo plus sentiendi libertas relicto nomine de eadem detrahare conatur.

XXXIX.

Atque hic singulariter advertere juvat, quale sibi Systema de Primatu Papæ effingant quidam ex iis etiam, qui omnino recte sibi sentire videntur. Incongrue nimirum applicatis Patrum assertis, quando ajunt, parem Apostolis potestatem a Christo tributam esse excepto Primatu, & subordinatione ad Petrum, ut unitas conservetur, ira inferunt: Jurisdictio Episcoporum Apostolis succedentium restricta est ad de-



determinatas diœceses, ultra quas ea se non extendit, nisi, ut putant, aliquando in casu necessitatis; ergo etiam Jurisdictio, & potestas Successoris Petri, seu Romani Pontificis restricta est ad Episcopatum suum Romanum, manente solum in hunc finem Primatu ad negligentias cæterorum Episcoporum supplendas, atque unitatem conservandam; adeo ut, si Caput Ecclesiæ, & Christi in terris Vicarius velit in aliena diœcesi actum Ordinis, aut Jurisdictionis exercere, v. g. Presbyterum ordinare, aut quemquam a peccatis absolvere, id sine consensu illius Episcopi, & delegata Jurisdictione nec licite, nec valide possit. Quid modo jam, qui tales sunt, de reservatione beneficiorum, casuum, exemptione ordinum &c. sentiant, quilibet sibi persuadere potest. Nobis certe ejusmodi quid ex mente Conciliorum, & Patrum, qui nunquam tale vel somniarunt, rejiciendum videtur.

XL.

Est ergo Ecclesiæ regimen Monarchicum ratione Primatus, non tamen in Ecclesia est pura Monarchia, sed Primatus adjunctam habet Aristocratiam Optimatum, seu Episcoporum. Videtur autem nobis potestas horum Optimatum in eo consistere, quod præter Summum Pontificem etiam ordo Episcoporum ad regimen Ecclesiæ vocatus sit, qui veri sint pastores sui gregis, proprioque nomine jurisdictionem exerceant, non tanquam sedis Romanæ Vicarii: quique in gravissimis Reipublicæ sacrae negotiis suffragio non meri consilii, sed decisionis vim habente gaudeant.

XLI.

Ex adjuncta hac Primatui Aristocratia sequuntur jura quædam, alia, quæ Primati, & Reçtori universæ Ecclesiæ, alia, quæ Episcopis, & Reçtoribus particularium Ecclesiarum, alia, quæ Primati una cum Episcopis propria sunt, ubi communi consilio, & suffragio Ecclesia regitur. Jura, quæ Primati, & Reçtori universæ Ecclesiæ necessario, & unice competunt, ea sunt, sine quibus unitas tam in fide quam in moribus, & disciplina respectu universæ Ecclesiæ conservari nequit.

XLII.

Ita conservatio universorum fidelium in integritate fidei antiquitus traditæ adeo soli Papæ præ cæteris Episcopis convenit, ut etiam, qui judicium ejus sine consensu, & accessu Ecclesiæ infallibile esse negant, contra tamen sententiam Pontificiam saltem publice nemini licere sen-

sentire, asseverent: quibus & nos consentimus, si summus Pontifex provisorio tantum modo quidquam definiat, uti non semel factum est. Sin vero re mature discussa, & conquisita, atque expensa traditione, quantum necesse videbatur, ut de ea Illi certo constaret, absolute quidpiam definiat, atque contrarium sentientes communione Ecclesiastica excludat, nulli Episcoporum licere se ab unitate Capitis separare, omnino tuendum censemus. Aut num quis Catholicorum in re etsi sibi adhuc dubia errorem timet, ubi se supra Petram fundat, atque in centro unionis quiescit? Hinc verus illud, & indubitatum S. Ambrosii: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.* Aut num forte potest esse veritas apud eos, qui non cum Primatu sentiunt, sed a centro unitatis fidei se separant? Profecto id absque omni dubio asseveramus, si hodie omnes existimarent, sibi in re licet dubia non licere, nec in nec externe dissentire a iudicio Primatis absolute definientis, ex principiis fidei nostrae impossibile fore, ut Spiritus Sanctus permittat Pontificem quidpiam falsum in fide absolute decernere.

XLIII.

Executio quoque, & custodia Canonum, & legum Ecclesiasticarum quoad disciplinam communem Ipsi unice prae aliis competit:

XLIV.

Quæ vana esset sine potestate coercitiva in refractarios per poenas in Ecclesia usitatas; hasque immediate, & unice per se ipsum infringere potest, quia disciplina Ecclesiæ, mutuo consensu statuta, non amplius obtinet, ut id per alios fiat.

XLV.

Ut autem conservetur unitas fidei, Canonesque custodiantur, & vindicentur, pertinet ad solum Pontificem, relationes desuper ex toto orbe exigere, & recipere. Et revera eæ in Ecclesia jam antiquissimæ sunt.

XLVI.

Item pro temporis necessitate novos etiam Canones disciplinares condere Sedi Pontificiæ, & Primatui proprium, atque necessarium est. Siquis tamen ex subordinatis Episcopis legem novam diœcesi suæ pro ratione circumstantiarum noxiam potius, quam proficuum iudicet, e-



am non solet promulgare, hancque esse mentem Supremi Legislatoris prudenter supponit.

XLVII.

Ad rationem Primatus etiam necessario pertinet jus Appellationum ob denegatam, aut nimium protractam justitiam; item ob nullitates insanabiles in processu commissas, ut pressæ innocentiae refugium superfit. Primatis vero erit, vel causam judicibus retractandam ordinarie committere, ubi nimirum lex disciplinæ suo, & aliorum Episcoporum consensu ita viguerit, aut per alios iudices a se constitutos, vel per semet rem decidere, prout melius ipsi visum fuerit, & ad succurrendum læsæ parti magis congruum.

XLVIII.

In casu denique speciali ob graves rationes valide, & licite in legibus universalibus dispensandi facultas Primati adeo negari nequit, ut Ipsi unice, & propriè conveniat. Itaque Episcopis, qui legem ejusmodi universalem ferre non possunt, neque dispensatio competit, nisi ubi ipsis saltem tacite permittitur, aut in casu necessitatis, ubi periculum in mora est, ita ut Sedes Apostolica prius adiri nequeat.

XLIX.

Denique ab omnibus Catholicis receptum est, quod Summo Pontifici soli, & uni comperat convocare Concilia universalia, ubi rei difficultas, & suave Ecclesiæ regimen ea requirere Ipsi videtur. Neque fundata apparet cujusdam Canonistæ animadversio, quod, si Ecclesiæ necessarium fuerit Concilium universale, Deus illi provisorus sit, Papa etiam non consentiente. Certe Deus Ecclesiæ nunquam providebit, nisi juxta Primatum unitatis a se constitutum. Providebit ergo, ut Papa certus, & indubius consentiat, & non aliter.

L.

Hæc de juribus præcipuis Primati universæ Ecclesiæ necessario, & unice propriis. Jura dein Rectorum particularium diocesum sunt alia Ordinis, alia Jurisdictionis, quæ in omnibus Canonistis reperire est. Illud delicatum, utrum revera dici queat, plenitudinem potestatis Episcopo cuilibet in sua diocesi convenire? Res hæc si cum grano salis intelligatur, sique verba *in sua diocesi* stricte, prout oportet, sum-

fumantur, non tam multum difficultatis habere videtur. Invigilare enim potest, & teneretur integritati fidei quoad omnes oves sibi commissas, ita tamen ut supra Petram se continuo funder. Potest condere leges particulares pro sua dicecesi, invigilare earum custodiæ, & executioni, refectarios pœnis coercere, recipere, & exigere desuper relationes, dispensare in legibus a se conditis, etiam convocare Synodum dicecesanam &c. Denique causas subditorum ad se pertinentes dijudicare, ita ut ad neminem in sua dicecesi desuper detur appellatio, &c. Ergo &c. Econtra res multum fallit, si plenitudo potestatis ita sumatur, quasi nemo alius pro sua dicecesi possit quidquam statuere, aut præcipere, quasi ipse omnia possit etiam contra jus commune, & leges universales, verbo, quasi pro sua dicecesi neminem alium superiorem deberet agnoscere, &c.

LI.

Unde vero sit Episcoporum potestas, disceptant inter sese: Nobis tenendum videtur, ipsam potestatem esse immediate a Deo, exercitium vero potestatis necessario esse, & dependere ab hominibus, prout nimirum Summus Pontifex, sine quo in Ecclesia nil ordinatur, ordinaverit.

LII.

Graviter quidem Episcopi tum extra, tum in Conciliis conquesti sunt de reservationibus beneficiorum, Ordinum exemptionibus, & modo quidam sat gravate ferunt reservationes casuum. Attamen, quod ea res omnino limites Pontificiæ potestatis excedat, ita ut invalidæ sint ejusmodi reservationes, & exemptiones, sine consensu Episcoporum factæ, Concilia nunquam dixere, sed potius confirmarunt, ut reservationes casuum; aut limitarunt, ut reservationes beneficiorum, & exemptiones Ordinum, ipso Pontifice consentiente. Cæterum & nos dicimus, non licere Pontifici sine justa causa conturbare gregem sibi commissum, aut ordinariam Episcoporum jurisdictionem minuere, cum Ipsi potestas in universam Ecclesiam data sit in ædificationem, & non in destructionem. Generaliter autem Pontifices in hisce causis ambitionis, malæ usurpatae potestatis &c. accusare, & a veritate alienum, & reverentia Culminis Apostolici omnino contrarium existimamus. *Vid. Posit. 39.*

C 2

LIII. Agen-



LIII.

Agendum modo de juribus Primati, & Optimatibus propriis, ubi communi consilio Ecclesia regitur. Atque id primo dispiciendum, utrumnam verum sit, post adjunctam Primatui Aristocratiam negotia, universam Ecclesiam concernentia, non nisi cum Episcoporum consensu a Papa decerni posse? Qua quidem in re peccare nobis tam illi videntur, qui ita Aristocratiam extollunt, ut Primatus obliviscantur, quam illi, qui ita Primatum deprædicant, ut Aristocratiam negligant. Debet nimirum per adjunctam Aristocratiam Ecclesia moderatum, & non despoticum Regimen experiri, ita tamen, ut necessaria unitas in Primatu nunquam non effulgeat. Sic Papa nihil statuet universam Ecclesiam concernens inconsultis Episcopis, ubi eorum consilium, & suffragium adesse poterit: neque eo ablente legem suam despotice urgebit, ubi plures Episcopi justas in contrarium rationes suggererint, & id quidem in disciplinariis. Sed & in rebus fidei, & morum nunquam existimamus Pontificem quidquam definiturum absolute, ita ut contrarium sentientes a Communione excludat, nisi prævie primariorum saltem Ecclesiarum desuper mentem, & relationes cognoverit. Episcopis quoque convenit quoad leges disciplinæ universalis libere ad Pontificem referre, atque rationes suas, & sensa transmittere; nunquam tamen obliviscantur, in Ecclesia non esse meram Aristocratiam, sed vinculum unitatis, atque Primatum continuo respiciant, a quo nullo in casu recedere eorum animis fixum sedeât. Quid autem in rebus fidei tenendum sit, *pos. 42.* exposuimus.

LIV.

Ex communi consensu Pontificis, & Episcoporum in specie robur accepere jura Patriarcharum, & Metropolitaram, quorum eminentia supra reliquos Episcopos non est juris Divini, sed primitus ex peculiari reverentia erga eas urbes, in quibus sedes primarias. D. Petrus fundaverat, tum ex consuetudine, & praxi, quam Ecclesiæ, & animarum utilitas invexerat, ortum traxere. Dein vero expresso mutuo consensu, & legibus Conciliorum firmata sunt: quo in consensu semper præcipuæ fuere partes Romani Pontificis.

LV.

Jura quidem Patriarchalia modo obtinent in Summo Pontifice tanquam Patriarcha Occidentis, etsi non foret Ecclesiæ universæ Primas.

Jura vero in Synodis exerceri solita, & magna ex parte etiam Metro- politica ad Romanum Pontificem devoluta sunt, ita ut solus modo iis utatur. Talia sunt Episcoporum Confirmatio, Translatio, & Cessio, Postulationum admissio, Coadjutoris Episcopalis designatio, Erectio novorum Episcopatum, Ecclesiarum Archiepiscopatum, Primatialium &c. Canonizatio, & Beatificatio Sanctorum &c. Jura porro ista sicut *posit. 44. & 47.* advertimus, post Synodorum infrequentiam, negligentiam Episcoporum, aut cessationem ultroneam ab usu jurium ejusmodi, atque frequentiore recursum ad sedem Romanam, ad neminem alium, quam Ecclesiae universae Caput devolvi potuisse, lege divina certum est. Ita videlicet Summorum Pontificum potestas succedentibus temporibus explicata, & evoluta est.

LVI.

Neque existimare licet, Christi Vicarium ea ambitione ejusmodi juribus adhæsurum, quo minus ea utilitati dilectæ sibi Ecclesiae de- nuo sit cessurus, si constaret, salutem animarum, & bonum Ecclesiae regimen exigere antiquæ in his disciplinæ restitutionem: dummodo ta- men vere fructus animarum, non vero independentia, & noxia quæ- dam libertas quæretur.

LVII.

Ecclesiam universam repræsentant Episcopi cum Capite suo uniti, & consentientes, idque sive dispersi, sive simul in concilio congregati fuerint. Quantæ vero debeant esse partes Vicarii Christi etiam in generalibus Conciliis, vel ex hoc solo, & indubio principio patet, quod unitas cum Primatæ, a Christo instituta, & præcepta, vel maxime in conciliis elucere debeat. Illius ergo est non solum convocare, de quo supra, sed etiam per se, aut suos legatos celebrare, ac denique confirmare concilia universalia, i. e. accedente suo consensu, si non per se interfuerit, infallibile robur unitatis addere, atque conclusa omnibus fidelibus promulganda jubere, ut ipsis constet, concordantibus cum suo Capite Episcopis Spiritum sanctum infallibiliter adfuisse.

LVIII.

Quæstionem vero illam, utrum Concilium sit supra Papam, vel e- contra, nunquam movere potuisse reputamus, si necessaria unitas cum Primatu, & non pura, sed adjuncta Primatui, seu Monarchiæ Aristo-
cra-



cratia sedulo attenta fuisset. (*Posit. 53.*) Neuter profecto altero superior est, ubi a Deo unitas jubetur. Patet ergo, ut sinistras sequelas non attendamus, eorum sententiam, qui Papam concilio subjiunt, inde ortam esse, quod neglecto Primatu meram Aristocratiam attenderint.

LIX.

Ex Aristocratia tandem Monarchiæ adjuncta haud obscure intelligi posse censemus, qualiter & Episcopi libere suffragia sua decisiva in conciliis ferre possint, & simul, si ab unitate Capitis discordent, qualiter nihil efficere queant, quamdiu pars Præfulum, cum Capite consentiens, ea talia non judicaverit, quæ attentionem mereantur: & revera ii definientes subscribunt, qui cum Capite sentiunt. Cæterum modus judicandi in conciliis legitime celebratis nequaquam ex regulis Critices est determinandus, multo minus a privatis discutiendus, ubi sub conditione unitatis Spiritus sancti ductus præsto est.

U. I. O. G. D.



